

Titulus Divitiensis vindicatus

Cum in inscriptionibus Germaniae inferioris ad Corporis usum redigendis occupatus essem, facere non potui, quin quaererem inscriptio Constantini Divitiensis utrum genuina sit necne. Quam cum Brambachius inter spurias exhibuisset, ego iam persuasum habeo et genuinam esse¹ et bona fide memoriae traditam. Itaque cum huius rei peritis quae effecisse mihi videor communico rogans, ut si quis forte noverit oblitteratum illud, ut videtur, Surii manuscriptum tamquam memoriae fontem unicum benigne mihi indicare velit.

Deutz rep.

VIRTUTE DOMINI CONSTANTINI MAXIMI
 PII FELICISSIMI INVICTI AVGVSTI
 SVPPRESSIS DOMITISQVE FRANCIS
 IN EORVM TERRIS CASTRVM DIVITENSIVM
 5 SVB PRAESENTIA PRINCIPIS SVI²
 DEVOTI NVMINI MAIESTATI QVE
 DVODEVIGINTI HAEC VOTA FECERVNT

Surius, de probatis SS. historiis tom. II (Colon. 1571) p. 246: post inscriptionem operis: *Vita S. Hereberti archepiscopi Coloniensis authore Ruperto abb. Tuitiensi* sequuntur haec verba: porro vetustus ms. codex hoc loco sic habet: *Titulus huius castris: (Tuitiense enim monasterium, prius castrum fuit)*, dein titulus (supra impressus) vv. non dd., sequitur *prologus authoris*; a Surio accepit M. Witlichius, qui publicavit in editione principe: *Ruperti abbatis Tuitiensis de incendio Tuitiense (Coloniae Agrippinae 1573) fol. 11^r in margine*. Sed eundem Surii locum etiam ante oculos habuerunt Broelmann comm. vol. 2 lib. 14 cap. 5: *marmor suggestit scriptori lib. de vita B. Hereberti quem msc. legimus visum pro vestibulo* [i. e. legit eo loco, quo impressit Surius]: sequitur titulus, item Brower ann. Trev. 1, 205 in margine *inscr. reperitur in S. Hereberti vita a Ruperto Tuitiensi conscripta, sed quia mendosa varie tractatur. Meminit et B. Rhenanus l. 3 rer. germ.* (inde Gelenius De mag. p. 84; Crombach ann. p. 546; Wiltheim ed. p. 193; Murat. 259, 4; Hüpsch epigr. 1, p. 11 n. 31; Orelli 1085).

Eiusdem tituli exemplum depravatum legitur in libro ms. Ruperti abbatis Tuitiensis de incendio Tuitiense, ex quo primum edidit Ioh. Cochlaeus in praefatione sua ad opus Ruperti Tuitiensis de divinis officiis lib. XII Colon. 1526 (inde innotuit B. Rhenano, rer. Germ., 1531, p. 174, cf. p. 56). Diligentius reddidit verba Ruperti Matthias Agricola Witlichius in editione principe libri Ruperti abbatis Tuitiensis de incendio Tuitiense (Coloniae Agrippinae 1573) fol. 10 sq.: *Porro de constructione castris diversa opinio est, alii*


¹ Cf. Hübner ann. Bonn. 80 p. 130 et Zangemeister *Westd. Korr.-Blatt* 1899 p. 42.

² fecerunt add., quod exclusi.

opinantibus fuisse opus Iulii Caesaris, aliis asserentibus quod tempore quo Imperator Constantius et filius eius Constantinus expeditionem in Galliis habuerunt, constructum fuerit ab eodem Constantino, devictis Francis. Hanc opinionem firmiorem esse asserit titulus non multos ante annos inventus, in tabula lapidea inter fragmenta murorum, et ipsa in partes divisa ita tamen ut partes ipsae ad invicem coniungi possent, qui huiusmodi erat [ad marginem adscriptum Verba inscriptionis. Eadem Dominus Surius ex antiquo quodam libro mihi communicavit hoc modo: sequitur exemplum Surii, vide supra]. Constantinus pius Romanorum Imperator Augustus devictis Francis castrum Dicensium [sic] in terris eorum fieri iussit. Milites turrim cum interturrio fecerunt. Haec duodeviginti vota fecerunt (inde, ut videtur, per Ioh. Strangium Donat. 220, 3, ex quo Orelli 1086). Ad arbitrium mutavit tituli verba Broelmann comm. vol. 2 lib. 14 cap. 5: sic exhibens: CONSTANTINVS L. F. AVG | DEVICTIS FRANCIS CASTRVM | DIVITENSIVM IN TERRIS EORVM FIERI IVSSIT. — Brambach 26 spur. ex prioribus.

1 DN Brower. 2 M·P·F·I·AVG Broelm. MAX·PII·FEL·INVIC·AVG Brower. 4 EOR·Broelm.; post TERRIS, MIL inserit Brow. CASTR·Brower 6 in. lacunam indicat Brow. MAIESTATIQ· Broelm. Brow. EIVS addit Brower. 7 DVO DE VIGINTI VIR EX VOTO Broelm. aperta interpolatione.

Titulum probe esse exceptum apparet praeter v. 7 quo versu desideratur numeri nomen qui opus perfecit. Collatis titulis vol. XIII n. 4139. 4140 pro DVODEVIGINTI legendum est DVO ET VICENSIMANI, i. e. legio XXII primigenia quam Constantini tempore in Germania inferiore tetendisse probabile est, cum haec legio, Carausii tempore adhuc superstes, in Notitia Dignitatum non nominetur sub duce Moguntiacense. Etiam votorum mentio non fraude titulo intrusa est, sed adscriptum erat, fortasse intra versum 7: X VOTA XX. Versus 7 igitur restituendus est in hunc modum:

DVOETVICENSIMANI ·  · FECERVNT

quae quam facile abire potuerint in lectionem Surii, manifestum est.

Heidelberg.

A. v. Domaszewski.